

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (9)

3.3. DE PRIMA MUNERIS PERIODO ILDEFONSI SCHOBER SUPERIORIS GENERALIS

3.3.1. De Ildefonsi Schober inceptis deque prioratu

Cum Ildefonsus Schober munus superioris generalis officialiter suscipere, adhuc Romae versabatur. Tamen opus suum ad congregationem Ottiliensem stabiliendam statim incohavit. Nam praeter consultationes, quas cum Abbate Primate atque cum cardinali Ledochowski instituit, imprimis magni momenti est Ildefonsum Schober iam die 5^o m. Dec. a. 1896^o petitionem ad Sanctam Sedem misisse, quā rogavit, ut «*domus apud S.am Ottiliam pro viris exstructa*» in prioratum «*quam primum*» erigeretur.¹ Quā petitione non solum agebatur cum de aliis quaestionibus tum de monachorum votis prioratūs futuri atque de votis iam prolatis sanandis, de cuius validitate dubitabatur, sed etiam respiciebantur aspectus missionarius et condicio quōque futura, cum ageretur de abbatiā tunc erigendā atque de Congregatione propriā instituendā.

Tamen eodem tempore ipsos Ottilianos non neglexit, cum iam die 4^o m. Dec. a. 1896^o epistolam circularem et ad domum maternam et ad missionarios misit, quā singulos universos certiores fecit se munus superioris generalis accepisse et se tempore commorationis Romanae usum esse, ut necessaria perpetraret, quibus instituto fundamenta certa canonicaque daret atque eius erectionem in prioratum praepararet.²

¹ Cfr petitio die 2^o m. Dec. a. 1896^o data (ASO, A.2.1.1 (copia documenti in archivo Sancti Anselmi asservati)). - Textus originaliter Latinus. - Scitu dignum est in initio petitionis legi cum alia tum haec: «*Paucos abhinc annos opera et cura R. Domini Andreae Amrhein professi O.S.B. consilio et adiutorio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ortum habuit praedicta «congregatio». Ob peculiaria tamen rerum adiuncta fundator supra nominatus non omnia obtinere potuit neque obtinere curavit, quae ad tale institutum rite erigendum necessaria erant. Itaque novus Superior, his diebus ab Abbate Primate nomine et mandato Sacrae Congregationis de Propaganda Fide nominatus, nihil maioris momenti ducit quam ut Sanctitas Tua benignissime dignetur domum apud S.am Ottiliam pro viris exstructam in Prioratum O.S.B. sub titulo B.M.V. Auxilii Christianorum quam primum erigere.*»

² Cfr Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 171; Frumentius RENNERT: Der fünfarmige Leuchter I. St. Ottilien ²1979, p. 286, qui etiam partem textūs affert.

His rebus peractis Ildefonsus Schober ad abbatiam suam Seccoviensem revertit, unde die 16^o m. Dec. a. 1896^o etiam episcopo Augustano Petro von Hötzl officialiter indicavit se superiorem generalem Ottiliensem redditum esse.³

³ Eādem epistolā Theodisce scriptā Ildefonsus Schober episcopo denuo gratias egit pro omnibus rebus, quas idem usque tunc pro instituto Ottiliensi fecerat, quā de causā Ottiliani eidem in re servandā constituendāque multum deberent. - *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 16^o m. Dec. a. 1896^o ad episcopum Augustanum data (ASO, A.2.1.6).

Sed iam paucis diebus post Ildefonso Schober afferebatur epistula ab Congregatione de Propagandā Fide data,⁴ quā continebatur decretum, quo domus missionaria Ottiliensis in prioratum eveheretur.⁵ Decretum autem die 13^o m. Dec. a. 1896^o datum erat.⁶ Mirā vero celeritate Congregatio de Propagandā Fide eiusque praefectus cardinalis Ledochowski hac in re operabantur, cum iam duodecim diebus post petitionem missam prioratus erigeretur. Textus autem decreti est hic:⁷

«Cum nuper in Bavaria exortum sit Institutum quoddam virorum religiosorum pro missionibus ad externos sub regula S. Benedicti a S. Ottiliae nuncupatum, cui etiam Sacra haec Propagandae Fidei Congregatio concedidit evangelizandam Praefecturam Apostolicam Zanguebariae meridionalis in Africa, praefata S. Congregatio precibus annuens R.P. Ildefonsi Schober, Abbatis monasterii Seccoviensis O.S.B. in Austria siti et munus Superioris

⁴ Hanc epistulam originaliter ad Abbatem Primatem datam Hildebrandus de Hemptinne Ildefonso Schober transtulerat.

⁵ Cfr Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei St. Martin, Beuron. Beuron 1963, pp. 265 sq.; Frumentius RENNERT: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filiationen. Zum hundertjährigen Bestehen von St. Ottilien. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 33, qui hōc locō tamen scribit prioratum propter visitationis relationem Ildefonsi Schober erectum esse neque officialem petitionem commemorat; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation in St. Ottilien. In: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 301; Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Gründerabt des Missionsklosters Schweiklberg und Apostolischer Administrator in temporalibus der Missionsbenediktiner von St. Ottilien. Winzer 1999, p. 65; Frumentius RENNERT: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner im deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 804; Viktor DAMMERTZ: Die staatskirchenrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 348; Paulus WEISSENBERGER: Das Benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert. Beuron 1953, p. 56, nr 324; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 286 sqq., qui hōc locō etiam versionem Theodiscam textūs decreti exhibet.

⁶ Qui dies mirum in modum est festum Sanctae Ottiliae. Verisimiliter haec coincidentia solum casū facta est.

⁷ ASO, A.2.1.1 - Textus originaliter Latinus. - Cfr etiam Paulus WEISSENBERGER: Unveröffentlichte Aktenstücke zur Frühgeschichte der Erzabtei von St. Ottilien. In: Jahrbuch des Vereins für Augsburgs Bistumsgeschichte 1, 1967, pp. 93 sq., qui quōque textum Latinum decreti exhibet.

Generalis eiusdem Instituti a S. Ottilia modo gerentis: ut domus haec S. tae Ottiliae firmo et canonico regimine instruat, sequentia ab omnibus servanda statuit:

1) Domus religiosa pro viris exstructa apud S. Ottiliam in dioecesi Augustana Vindelicorum, in Prioratum O.S.B., sub titulo B.M.V. Auxilii Christianorum, cum iure novitiatus canonici erigitur, reservata interim iudicio S. Sedis adprobatione Constitutionum.

2) Huius Prioratus familia constare in futurum debet ex monachis, post novitiatum canonice peractum, per triennium votis simplicibus et deinde votis sollemnibus professis: necnon ex fratribus conversis, qui post Novitiatum tria vota simplicia temporanea et post triennium perpetua et publica, i.e. ab Ecclesia acceptata emittant, secundum Regulam S. Benedicti et constitutiones a S. Sede adprobandas.

3) Insuper cum ob specialem huius Instituti condiciones dubium de qualitate et validitate votorum, quas alumni eiusdem huc usque emisissent, exortum sit, vota illa esse simplicia perpetua et ab Ecclesia acceptata declarat: ita tamen ut triennium pro monachis chori ante vota sollemnia iure canonico praescriptum a die huius declarationis computandum sit. Hos vero professos votorum simplicium, qui iudicio supra memorati Superioris Generalis probationi per triennium instituendae non responderint, liceat ipsi Superiori Generali cum consensu Abbatis Primatis O.S.B. ab omni votorum vinculo solutos dimittere.

4) Cum Institutum, de quo agitur, pro missionibus exteris sit fundatum, Superior Generalis cum monachis missionariis, qui ex monasterio dicti Instituti in partes infidelium praesertim nunc temporis in partes Afrorum missi fuerint, dum in stationibus a centrīs missionis remotis degunt, ubi regularis fundatio minime institui potest, dispensare valeat ab obligatione observandi illa constitutionum capita, quae cum conditione et officiis missionariorum extra claustra degentium incompatibilia dignoscantur.


5) Quod quidem ordinationes religiosorum dicti Instituti, attentis necessitatibus missionum et iis, quae supra (num. 3) statuta sunt circa vota simplicia per triennium pro monachis hucusque professis prolongata, Sacra Congregatio concedit Superiori Generali ad quinquennium facultatem dictos religiosos votorum simplicium titulo missionis Episcopo loci ordinandos, vel eo impedito cuicumque catholico Episcopo praesentandi.

6) Demum cum in monasterio, id est Prioratu praedicto duodecim exstituri sint professi votorum sollemnium in sacris constituti, domus ipsa in Abbatiam erigetur. Cum autem Institutum ipsum tria possideat eiusdem regulae earundem Constitutionum monasteria, sive sint Abbatiae sive Prioratus conventuales, nomine Congregationis Germanico-Africanae decorabitur.»

Hōc decretō Congregatio de Propagandā Fide rogationes petitionis, quam Ildefonsus Schober exaraverat, omnibus in rebus secuta est.⁸ Magni momenti non solum erat ipsa erectio prioratūs conventualis, sed etiam sanatio votorum, si quid in eis dubitandum erat, atque respectus condicionum specialium missionis et imprimis prospectus ad tempora futura, id est illa puncta, quibus erectio abbatae atque institutio propriae Congregationis Ottiliensis promittebatur.⁹


⁸ Textus decreti magnā ex parte usque ad verbum cum petitione Ildefonsi Schober congruit. Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 287 textum ipsius decreti valde laudat scribens eundem non esse usitatum neque secundum schemata tradita compositum. Tamen videtur textūs petitionis atque decreti non comparavisse. Nihilominus quod attinet ad voluntatem Congregationis de Propagandā Fide, magni momenti est eandem illa puncta extraordinaria, quae Ildefonsus Schober petiverat, suscepisse.

⁹ Ipsum nomen «Congregationis Germanico-Africanae» Ildefonsus Schober in petitione sua non proposuerat, sed magis neutraliter tantummodo de «Congregatione» locutus est. De hōc titulō nimis angusto postea iterum disputabatur. - Quasdam alias mutationes in textū decreti Ildefonsus Schober in epistolā in initio m. Ian. a. 1897ⁱ ad Hildebrandum de Hemptinne datā (ASO, A.2.2.1) monet. Imprimis ei non satis placuit, quod mutata erat petitionis sententia, quā rogavit, ut superior generalis monachos missionarios in regione missionariā versatos «*ab obligatione communiter peragendi certa exercitia ... dispensare valeat.*» Quod enim in ipso decreto legebantur haec: «*Superior Generalis ... dispensare valeat ab obligatione observandi illa constitutionum capita, quae cum conditione et officiis missionariorum extra claustra degentium incompatibilia dignoscantur*», Ildefonso Schober erat licentia nimis ampla, quā superior quidam generalis monastice non eruditus abuti posset (mirum tamen, quod Ildefonsus Schober de huiusmodi superiore generali cogitavit).



Cum Ildefonsus Schober die 4^o m. Ian. a. 1897^o primā vice ut superior generalis ad monasterium Ottiliense perveniret,¹⁰ hōc de-

*ottiliense die 7^o m. Ian. a. 1897^o receptus.
die sedens: Ildefonsus Schober.
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 49.]*



cretum atque hunc nuntium laetiferum secum attulit. Tamen haec commoratio solum erat brevis. Magni autem momenti Ildefonso Schober erat praesentiā suā munus suum in ipso loco suscipere. Praeterea vero - quae erat res principalis - monachi Ottilienses die 7^o m. Ian. a. 1897^o in manūs superioris generalis vota sua in triennium renovaverunt.¹¹ Hunc in

¹⁰ Chron. Ottil., m. Ian. ad Martium a. 1897, ubi etiam legitur Ildefonsum Schober vespere diei 4ⁱ m. Ian. advenisse, quamvis propter telegramma missum eius adventus die 5^o m. Ian. demum exspectatus esset. Quā de causā perturbationes quaedam exortae essent, quia eius receptio sollemnis nondum praeparata fuisset. - De hōc adventū Ildefonsi Schober *cfr* etiam *Missionsblätter* 1, 1897, coll. 33 sqq.; Bernita WALTER (1985), p. 174; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 288; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 301; Hartmut MADL (1999), p. 65.

¹¹ *Cfr* Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 288; Johanna BUSCHMANN: «Funda

modum fundamentum ponebatur, quo deinde opera sequentia effici potuerunt.

Medio mense Februario Ildefonsus Schober ad monasterium Ottiliense revertebatur,¹² ut magnum opus reformandi stabiliendique suscipere incoharetque. Quid generaliter faciendum esset, iam inter visitationem canonicam viderat.

Cum munus superioris generalis Ottiliensis non esset unicum officium Ildefonsi Schober, ei auxilium omnino necessarium erat. Itaque adiutor quidam ab Beuronensibus ei con-cedebatur atque mittebatur. Is adiutor erat denuo P. Ludgerus Leonard, cui die 16^o m. Febr. a. 1897^o munus suum attribuebatur et qui paucis diebus post Ildefonsum Schober in monasterium Ottiliense advēnit. P. Ludgerus Leonard instituebatur Prior monasterii atque magister novitiorum,¹³ qui non solum Ottilianos disciplinam monasticam doceret, sed etiam absentiam superioris generalis monasterium duceret. Quod munus idem die 21^o m. Febr. a. 1897^o suscepit.

nos in pace». In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 87; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 301; Hartmut MADL (1999), p. 65.

Quod autem attinet ad vota, decreto prioratūs ab Congregatione de Propagandā Fide exhibito erant eadem quidem sanata atque «ab Ecclesia acceptata», sed solum sub hac condicione, quā triennium canonicè praescriptum, post quod vota sollemnia monachorum chori proferri potuerunt, inde ex die decreti exhibiti computabantur. Id est vota sollemnia primā vice die 13^o m. Dec. a. 1899^o proferri licuerunt. Haec res clare ex decreto apparet et Ildefonsus Schober rem eodem modo intellexit, ut ex ipsius relatione die 5^o m. Maii a. 1897^o ad Congregationem de Propagandā Fide datā (ASO, A.2.1.1) manifestatur. Tamen Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 313 scribit vota sollemnia primā vice tribus annis post vota die 7^o m. Ian. a. 1897^o proferri potuisse. - Cfr etiam Hartmut MADL (1999), p. 65 adn. 158.

¹² Die 14^o m. Febr. a. 1897^o. - Cfr Chron. Ottil., m. Ian. ad Martium a. 1897.

¹³ Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 301; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 87; Hartmut MADL (1999), p. 64 adn. 154; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 804; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 48.

Tale vero auxilium externum alicuius monachi periti omnino necessarium erat. Tamen Otiliani aliquem ex ipsis in loco Prioris praetulisse videntur, quamvis ex eruditione atque peritiā nemo illorum illo tempore hōc munus suscipere valuisset. Ex hac diversitate opinionum difficultas quaedam exorta est,¹⁴ quae tamen satis celeriter componi potuit.¹⁵ Nihilominus etiam de hōc auxilio Beuronensi Otiliani generaliter grati erant.¹⁶

Cum tunc novus Prior adesset, P. Bernwardus Baule, qui tempore intermedio munere superioris monasterii fungebatur, iterum monachus simplex factus est. Īdem autem mense Martio a. 1897ⁱ in Pragensem abbatiam Emautinam se contulit, ut ibīdem novitiatum absolveret,¹⁷ sicuti iam alii Otiliani in variis monasteriis Beuronensibus fecerunt.¹⁸

¹⁴ Ex fontibus non omnino clare apparet, quid monachi Otilienses protulerint. Sed suspicandum est eos, cum P.rem Ludgerum Leonard ex tempore visitationis canonicae iam novissent, ipsum propter eius indolem et propter eius dispositionem, quā res missionaria ei erat vere aliena, non ita dilexisse. Talis difficultas generalis numquam revera ablata est. - Ut Johanna BUSCHMANN (2003), p. 87 et p. 101 adn. 16 refert, ipse Ildefonsus Schober speraverat fore, ut P.rem Adalbertum Swierse Beuronensem acciperet adiutorem.

¹⁵ Ildefonsus Schober in epistulis die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne et ad episcopum Augustanum datis (ASO, A.1.8.1; ASO, A.2.1.6) breviter commemorat difficultatem «*in quaestione prioris*» exstitisse, quae bene componebatur.

¹⁶ Sic ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER in recordationibus suis (Erinnerungen (s.a.), p. 33 (ASO, A.1.8.1)) scripsit in initio salutare fuisse, quod iterum auctoritas quaedam adfuisset atque aliquis habenas severe tenuisset. Praeterea bonum quōque fuisse Beuronenses sonum magis politum atque urbanitatem attulisse.

¹⁷ Bernwardum Baule consultationibus quibusdam necessariis habitis post duas septimanas in abbatiam Emautinam profecturum esse refert Ildefonsus Schober in epistulis die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad Abbatem Primatem et ad episcopum Petrum von Hötzl datis (ASO, A.1.8.1; ASO, A.2.1.6).

¹⁸ Ut Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 289 adn. 326 scribit, Ildefonso Schober in animo erat P.ri Bernvardo Baule post novitiatum secundum eius facultates in aliquo alio monasterio munus quoddam tradere, fortasse ipsum secretarium suum reddere. Tamen res omnino aliter evēnerunt. Nam interea vocationem in missionem Africanam eundi accepit, quo die 31^o m. Aug. a. 1897^o profectus est (*cfr* Chron. Otil., m. Aug. a. 1897). In Africā autem P. Bernwardus Baule ne quinque quidem menses mansit, cum iam die 21^o m. Ian. a. 1898^o febrī correptus ibīdem ex improvise vitā functus esset modo triginta quattuor annos natus. - *Cfr* Chron. Otil., m. Ian. a. 1898; Missionsblätter 2, 1898, coll. 22 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 292 adn. 74; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Otilien 1992, p. 126. - Res quaedam mira hōc in conexū

adnotanda est. Quamvis ex. gr. Godfrey SIEBER (1992), p. 126 scribat Bernvardum Baule munere superioris deposito speravisse fieri tunc posse, ut missionarius in Africam iret, exstat epistula ipsius Bernvardi Baule die 6^o m. Aug. a. 1897^o ad Ildefonsum Schober data, ubi scripsit haec: «*Vocationem in Africam mihi inexpectata vēnit, sed mihi persuasum est Deum rem sic habere velle. Certe nihil feci, ut in Africam mitterer; potius e contrario. Sed hoc ipsum nunc fiduciā me explet Deum me ibi habere velle. Paradisum sane non exspecto.*» (ASO, Akte Baule. - Textus originaliter Theodiscus). Ex his verbis apparet Bernvardum Baule ipsum in Africam ire omnino non desideravisse, e contrario hanc vocationem ut poenam percepisse.

Mense Februario a. 1897ⁱ Ildefonsus Schober tunc opus reformatorium etiam incohavit atque nonnullis praeceptis instigavit.¹⁹ Sic verbi gratiā novum horarium introductum est, quod maximā ex parte horalem ordinem Beuronensem secutum est.²⁰ Denique separatio inter monachos clericos atque fratres laicos instituebatur.²¹ Huiusmodi autem fundamenta Ildefonsus Schober statim ipse ponere voluit, ut P.ri Ludgero deinde labores paulo faciliores essent.²²

¹⁹ Primā vice de illis rebus novis, quas introduxit, Ildefonsus Schober in epistolā rettulit, quam die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne scripsit (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 87; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 301 sq.

²⁰ Chronista Ottiliensis (Chron. Ottil., m. Ian. ad Mart. a. 1897) horarium singillatim exhibet. Itaque horā tertiā matutinā minutā quadragesimā surgendum erat. Deinde per unam horam Matutinum atque Laudes orabantur, quas preces missae secutae sunt. Horā sextā et dimidiā Prima orabatur, ab horā nonā Tertiā orabatur, officium conventūs celebrabatur et Sexta orabatur. Horā duodecimā prandium praebebatur atque occasio recreationis erat. Horā quartā decimā Vesperae orabantur, horā duodevicesimā et dodrante cena praebebatur atque iterum occasio recreationis erat, horā undevicesimā minutā quadragesimā completorium orabatur. Temporibus autem intermediis in studia incumbebatur, institutiones scholares exhibebantur et reliqui labores exanclabantur. Chronista vero hunc ordinem esse optimum existimabat.

²¹ Quae res propter novos ordines chori atque refectorii quasi per se fiebat, ut Ildefonsus Schober scripsit.

²² Ut Ildefonsus Schober in epistolā die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad episcopum Petrum von Hötzl datā (ASO, A.2.1.6) scripsit, putavit novam formationem monasticam Ottilianorum partim non ita facilem fore, quia patres «vetustiores», quorum indoles iam essent formatae, strictam disciplinam monasticam addiscere deberent.

Sed res generaliter bene progrediebantur, quamvis non ex uno die in alterum. Sed iam in initio mensis Maii a. 1897¹ Ildefonsus Schober longam relationem ad Congregationem de Propaganda Fide mittere valuit, quā de progressibus atque effectibus iam perpetratis singillatim rationem reddidit.²³ Bene autem scivit cardinalis Ledochowski, qualem adiutorem in Ildefonso Schober haberet. Nam brevi post primam relationem missam ei gratias pro re bene inchoatā iam egit eum laudans cum alia tum scribens haec:²⁴ «*Ex iis, quae P.T. Rma per nuperrimas litteras refert huic S. Congregationi super rebus instituti a S. Odilia nuncupati, maximum sumpsit argumentum laetitiae, cum probe noverim omnia ab initio Tui regiminis ita gesta esse, ut plenissime votis S. Congregationis satisfaciant. Qua de re debitas P.T. refero gratias, pro summa prudentia ac sollicitudine, qua opus reformationis instituisti, et iam favente Deo ad primos proferendos disciplinae fructus adduxisti.*»

Sic Beuronensibus auxiliantibus initium factum est, quo novum bonumque fundamentum monasticum poneretur.²⁵

3.3.2. De approbatione statali

3.3.2.1. De condicionibus sororum

Saltem breviter nunc ad condiciones sororum nobis convertendum est. Eae-

²³ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 5^o m. Maii a. 1897^o ad cardinalem Ledochowski data (ASO, A.2.1.1). - Hac in relatione Ildefonsus Schober etiam condiciones missionis fusius respexit praeter alia scribens haec: «*Conditio Missionis ipsa, postquam primas litteras pro officio Superioris Generalis et aliquot privatas misi, circumspicte res administrante Praefecto Apostolico R.P. Mauro Hartmann adeo ab implicationibus libera facta et firmata est, ut omnium missionariorum epistulae rursus animum contentum et pacem spirent atque accusationes contra Praefectum Apostolicum factas magna ex parte ab erroneis opinionibus ortas esse appareat. Porro relationibus ab ipso Praefecto Apostolico ad S. Congregationem de Propaganda Fide missis probatur Deum, quamquam multos morbos aliaque incommoda miserit, tamen stationibus iam erectis novissimo tempore mire benedixisse.*» (Textus originaliter Latinus). - De difficultatibus hic commemoratis cfr supra cap. 3.2.2.2.

²⁴ Epistula cardinalis Ledochowski die 29^o m. Maii a. 1897^o ad Ildefonsum Schober directa (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

²⁵ Praeter P.rem Ludgerum Leonard interdum quidam alii monachi Beuronenses ad certa officia explenda per breve spatium temporis in monasterio Ottiliensi versabantur, velut P. Ildefonsus Veith, qui ad tempus munere caeremoniarum fungebatur. - Cfr epistula Ildefonsi Schober die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1); Chron. Ottil., m. Ian. ad Mart. a. 1897.

dem enim ab initio foundationis erant pars constitutiva consociationis Ottiliensis. Tamen iam diutius ab institutionibus externis maior separatio localis sororum ab fratribus patribusque postulabatur. Hęc vero postulatam magis urgeter proferebatur et ab regimine Bavarico et ab ordinariatū episcopali Augustano et ab Abbate Primate inde ex illis temporibus, quibus difficultates profundae consociationis Ottiliensis exortae erant et quibus haec problemata fundamentaliter solvi coeptum est.

Sed res erat aliquatenus intricata. Nam sororum translatio localis artē cohaerebat cum consociationis Ottiliensis approbatione statali. Regimen enim Bavaricum declaraverat se consociationi Ottiliensi tunc demum ius personae iuridicae collegialis sive ius corporationis attributurum esse, cum monasterium sororum in distantia satis magnā ab domo virorum erectum esset. Tamen in initio anni 1897¹ difficultas maiorabatur, quia illo tempore, quo Catharina Scheins bona monasterii sororum ad episcopum transtulerat, eadem hęc solum sub condicione fecerat, quā domus missionaria Ottiliensis intra unum annum ius personae iuridicae collegialis sibi acquireret. Aliter donatio bonorum non esset valida. Hoc temporis spatium unius anni paene transactum erat.²⁶

Itaque Ildefonsus Schober in angustiis erat, et cum ipso scilicet tota consociatio. Idem autem die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad episcopum Petrum von Hötzl scripsit: «*Mihi in praesenti multas curas praebet translatio monasterii mulierum, cum ab eadem ad effectum adductā dependeat contributio iuris corporationis tantopere desiderata.*»²⁷

Sed locus aptus ad novum aedificium exstruendum quaerendus erat. Nam - ut omnes responsales inter se consentiebant²⁸ - novum monasterium sororum convenienter quidem, sed non nimis longe ab monasterio virorum abesse debuit. Totam regionem vicinam Ottiliani inspexerunt. Maxime autem idoneum eis videbatur praedium quoddam, quod «Riedhof» appellabatur et quod iuxta vicum Aeresingam situm viā circiter semihorae ab monasterio Ottiliensi aberat. Cum pretium areae non nimis magnum esset, illud praedium die 25^o m. Mart. a. 1897^o emebatur.²⁹ Sed quia neque

²⁶ Translatio bonorum monasterii sororum die 21^o m. Febr. a. 1896^o facta est. - *Cfr* supra cap. 2.3.6.3.

²⁷ *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad episcopum Petrum von Hötzl data (ASO, A.2.1.6). - Textus originaliter Theodiscus.

²⁸ De hac re scripsit Ildefonsus Schober in epistolā die 23^o m. Febr. a. 1897^o ad episcopum directā (ASO, A.2.1.6), ubi etiam locos quosdam inspectos commemorat.

²⁹ *Cfr* Chron. Ottil., m. Mart. a. 1897; Bernita WALTER (1985), p. 178; Hartmut MADL

moniales neque monachi ex causis iuridicis ut consociatio illam aream emere valuerunt, P. Coelestinus Maier cellerarius nomine suo hęc fecit.

Hunc in modum quadamtenus initium factum est, quo condiciones officialiter postulatae explerentur. Itaque Ildefonsus Schober in relatione suā mense Maio a. 1897ⁱ ad Congregationem de Propagandā Fide missā scripsit haec:³⁰ *«Dein quia electio alicuius loci apti ad monasterium monialium illic transferendum necessaria videbatur, iam territorium ad novam foundationem idoneum, quod dimidiam fere horam a S. Odilia distat, requisitum et, approbante Episcopo Ordinario Augustae Vindelicorum, secundis condicionibus emptum est. Hoc ipso autumno res omnes parari posse speramus, ita ut sequenti anno aedificium rudibus saltem muris erectum conspiciatur.»*

Quamvis Ildefonsus Schober hanc spem, quā aedificium inter breve spatium temporis conficeretur, verbis expressisset, tamen pecuniae deficientis causā initium operum iterum iterumque protractum est.³¹ Revera illud aedificium numquam constructum est. Decursū autem temporis alia solutio - verisimiliter melior - pro sororibus inveniebatur, cum definitive Tutzingam transmigrarent.

3.3.2.2. De iuribus corporationis

Postquam area novo monasterio sororum destinata empta est, Ottiliani putaverunt se quaestionem, quā ius personae iuridicae collegialis acquireretur, denuo aggredi posse. Itaque Ildefonso Schober instigante atque annuente Prior P. Ludger Leonard petitionem, quā consociationi Ottiliensi iura corporationis tribueretur, ad régimen mittens renovavit.

³⁰ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 5^o m. Maii a. 1897^o ad cardinalem Ledochowski data (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

³¹ Singillatim hunc conexum atque conamina sororum explicat Bernita WALTER (1985), pp. 178 sq.

Quamvis régime Bavarium illo tempore saepissime mentem satis angustam atque omnino severam monstraret, tamen, etiamsi condicio fundamentalis, id est translatio monasterii sororum, tantummodo partim atque solis initiis quibusdam expleta erat, hac in re tunc celeriter atque aliquatenus benigne egit.³² Itaque die 26^o m. Iun. a. 1897^o ab ministerio rei culturalis officiale decretum ab Ottilianis tam diu atque tam vehementer desideratum exhibebatur, quo «Sancti Benedicti consociationi missionariae Ottiliensi» iura corporationis tribuebantur atque insimul eadem ut monasterium prioratusque Benedictinorum agnoscebatur.³³

Ottiliani ipsi, ut bene imaginari possumus, de hōc decretō atque de iuribus corporationis attributis, quae iam pridem desideraverant et quae ad statum stabiliendum atque pro vitā consociationis futurā tantopere necessaria erant, valde gavisi sunt.

³² Ildefonsus Schober in epistulā die 5^o m. Maii a. 1897^o ad cardinalem Ledochowski directā (ASO, A.2.1.1) refert ipsum administrum rei culturalis propter periculum, quod possessioni Ottiliensi instabat, promisisse illa iura ante Kalendas Iulias a. 1897ⁱ datum iri.

³³ *Cfr* Chron. Ottil., m. Iul. a. 1897; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 292 sq.; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 88; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 297 adn. 80; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 805; Bernita WALTER (1985), p. 178; Hartmut MADL (1999), pp. 71 sq.; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 347, qui etiam partem Theodisci textūs originalis huius documenti affert.

Tamen ut haec agnitio revera valida esset, coniuncta erat cum quibusdam condicionibus atque obligationibus:³⁴ nam primo monasterium ab monasteriis extra Bavariam sitis independens manere debere et sicut reliqua monasteria Bavarica legibus atque edictis Bavaricis subiectum esse; secundo iura magistratuum statalium, municipalium ecclesiasticorumque servari et rem publicam erga monasterium nullas obligationes pecuniarias habere;³⁵ tertio munera officiaque ab pastoratū Aeresingensi postulata mox

³⁴ Cfr Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 347.

³⁵ Ut hae obligationes postulataque et deinde totus connexus, qui cum publicā approbatione Constitutionum cohaerebat, melius intellegatur, breviter statūs ius erga ecclesias,^{a)} quod dicitur, spectandum est. Hōc ius speciale longiorem quidem historiam habet, sed inde ex saecularizatione, quae praeter alia in illuminismo quōque funditur, mutationes fundamentales exortae sunt, quae decursū saeculi undevicesimi magis magisque apparebant. Nam perceptione mutatā statūs cura religionis, quā civitas confessiones religiosas tuebatur, substituitur statūs saeculari obligatione, quā quietem externam, securitatem, generalem salutem civium, tolerantiam servare debet. Itaque praevalet statūs eiusque iurum constituitur et actio religiosa ecclesiasticaque tantummodo intra fines politice utiles acceptosque fieri licet. Ex hac re etiam intellegitur ecclesias (cuiusvis generis) officialiter tantummodo ut consociationes religiosas percipi et sicut omnia alia collegia (cuiusvis generis) tractari. Quā de causā actio ecclesiastica sub aspectū publico non iam est religiosa, sed solum culturalis, ethica socialisque. Itaque statūs ius erga ecclesias, id est *ius circa sacra*, est statūs licentia ecclesias observandi et statūs potestas illas res ordinandi, quae spectant ad ecclesiarum relationes «externas» civilesque^{b)} atque ad relationes «mixtas», quae dicuntur.^{c)} Valet ergo inter rem publicam et ecclesias principium subordinationis (sc. ecclesiarum). Talis vero subordinatio manifestatur statūs auctoritate erga ecclesias,^{d)} quae variis multiplicibusque modis exercetur. Est enim nominandum ex. gr. *ius inspiciendi cavendi*, quo societates religiosae generaliter observantur et quo res publica contra tales condiciones putativas defenditur, quibus ecclesiae in relationes publicas se immiscere conentur. Hōc iure generali continetur illud ius, quod *placētum (regium)*^{e)} dicitur et quo rei publicae non solum omnia decreta ecclesiastica inspicere, sed éadem etiam probare (vel non probare) licet. Actū autem ecclesiastico publice non comprobato rei publicae non est obligatio. Etiam continetur ius, quod dicitur *appellatio ab abusū* et quo observatur, ne ecclesiae muneribus suis abutantur. Ad hunc connexum ex. gr. etiam pertinet rei publicae ius, quo eidem condiciones pecuniarias ecclesiarum observare licet, et ius nominandi, quo statui licet pro muneribus ecclesiasticis homines quosdam proponere. Haec exempla hactenus. Problema autem statūs iuris erga ecclesias non est - ut periti dicunt - in ipsā hac institutione, sed in modis atque mensuris. Sub hōc aspectū etiam diiudicanda sunt omnia postulata, quae ab regimine Bavarico Ottiliensi monasterio imposita sunt.

De themate cfr ex. gr. Ernst LÜDER-SOLTE: s.v. Staatskirchenrecht. In: Lexikon für

solvenda esse; quarto consociationem sororum ordinandam atque translationem earum sedis speciali approbatione indigere; quinto approbationem atque agnitionem propriarum Constitutionum reservari; sexto comprobationem instituti educatorii specialiter petendam esse.³⁶

Kirchen- und Staatskirchenrecht. Paderborn / München / Wien / Zürich 2004, 3, pp. 583 sqq.; Martin HECKEL: Zur Entwicklung des deutschen Staatskirchenrechts von der Reformation bis zur Schwelle der Weimarer Verfassung. In: Zeitschrift für evangelisches Kirchenrecht 12, 1966/67, pp. 1 sqq.; Christoph LINK: Staatskirchen-hoheit. Religionsgesellschaftliche Autonomie und säkulare Gemeinwohlverantwortung im deutschen Staatskirchenrecht seit der Aufklärung. In: Zeitschrift für evangelisches Kirchenrecht 20, 1975, pp. 1 sqq.; Martin HECKEL: Die Neubestimmung des Verhältnisses von Staat und Kirche im 19. Jahrhundert. In: Der Staat. Beiheft 11, 1996, pp. 165 sqq.; Martin HECKEL: Vom Religionskonflikt zur Ausgleichsordnung. Der Sonderweg des deutschen Staatskirchenrechts vom Augsburger Religionsfrieden 1555 bis zur Gegenwart. München 2007, pp. 34 sqq.; Alexander HOLLERBACH: s.v. Staatskirchenrecht. In: Lexikon für Theologie und Kirche. Freiburg / Basel / Rom / Wien 2000, 9, coll. 900 sqq.

- a) statūs ius erga ecclesias: *Staatskirchenrecht*.
- b) Res ecclesiarum «internae», id est spirituales, non tanguntur.
- c) «mixtae» dicuntur ex. gr. res, quae quidem ad cultum pertinent, sed etiam ordinem civilem tangunt, velut locus tempusque officii divini, processiones piae et sim.
- d) statūs auctoritas erga ecclesias: *Staatskirchenhoheit*.
- e) *Cfr* Albert SLEUMER: Kirchenlateinisches Wörterbuch. Limburg 1926, p. 612.

³⁶ De hac re vide infra.

Uno die post attributionem iurum corporationis, id est die 27^o m. Iun. a. 1897^o, régimen Bavaricum documento speciali P.rem Ludgerum Leonard esse Priorem monasterii Ottiliensis officialiter comprobavit.³⁷ Hunc in modum P. Ludgerus Leonard erga régimen erat monasterii repraesentans responsalis, cui documenta velut petitiones, relationes similiaque subscribere licuit. Ildefonsus Schober, quamvis esset superior generalis atque praepositus P.ris Ludgeri, sic ab iure subscribendi excludere régimen conabatur. Nam cum Ildefonsus Schober esset abbas Seccoviensis, abbatiae extra Bavariam sitae, ĩdem regimini inter extraneos numerabatur et régimen semper timuit, ne dependentia alicuius monasterii Bavarici ab monasterio non Bavarico fieret.³⁸ Ex hac perceptione decursū temporis iterum iterumque difficultates quaedam exortae sunt.³⁹

Sed illo tempore res bene progrediebantur. Nam die 30^o m. Iun. a. 1897^o episcopus Augustanus Petrus von Hötzl contractū donationis «Consociationi missionariae Sancti Benedicti», cuius repraesentans P. Ludgerus Leonard aderat, omnia bona - areas, aedificia, mobilia, pecuniam similiaque - tradidit, quae anno anteriore ab P.re Andrea Amrhein atque Catharinā Scheins iisdem munere se abdicantibus acceperat.⁴⁰ Hunc in modum episcopus condiciones explevit, sub quibus tempore difficillimo bona Ottiliensia ei tradebantur.⁴¹ His rebus transactis primaria problemata urgentia existentiae superata erant. Tamen plura adhuc erant solvenda.

3.3.3. De Constitutionibus

3.3.3.1. De ipso Constitutionum textu

Postquam monasterium Ottiliense in prioratum evectum est, omnino necessarium erat, ut Constitutiones conscriberentur. Sed etiam régimen Bavaricum in ipso decreto iurum corporationis Constitutiones admonuerat.

³⁷ Cfr Chron. Ottil., m. Iul. a. 1897; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 88; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 293.

³⁸ Tamen videtur régimen Bavaricum diu non intellexisse, quale munus esset «superioris generalis». Et similiter non intellexit Ildefonsus Schober hōc munus tantummodo ad tempus suscepisse, usque dum aliquis ex ipsis Ottilianis ĩdem suscipere valuit, et hunc in modum periculum dependentiae, quod officiales Bavari tam vehementer timuerunt, non exstitisse.

³⁹ De hac re vide infra.

⁴⁰ Cfr contractus donationis die 30^o m. Iun. 1897^o initus (ASO, A.2.1.6 - copia, cuius documentum originale in ordinariatū Augustano asservatur). - Cfr Paulus WEIS-SENBERGER (1963), p. 297 adn. 80.

⁴¹ De hac re cfr supra cap. 2.3.6.3.

Videtur autem Ildefonsus Schober iam inde ab initio anni 1897ⁱ in hoc opus exanclandum incubuisse.⁴² In Constitutionibus vero Ottiliensibus componendis ei unā ex parte utilissimae erant Constitutiones Beuronenses anno 1884^o approbatae, quas magnā ex parte secutus est.⁴³ Tamen alterā ex parte ad manum habuit textum Constitutionum, quas P. Andreas Amrhein anno 1896^o, cum iam Romae versaretur, Latine exaraverat, sed solum partim confecerat.⁴⁴ Hunc quoque textum Ildefonsus Schober adhibuit atque, quantum fieri potuit, secutus est.⁴⁵ Nihilominus Ildefonsus Schober

⁴² Scripsit enim idem in relatione die 5^o m. Maii a. 1897^o ad cardinalem Ledochowski directā haec: «*Denique Constitutiones, quae postea ad approbationem Romam deferendae erunt, incipi et ex parte iam elaborari poterant. Item delineatio appendicis cuiusdam constitutionibus annexae componebatur, qua relationes inter domum originis et Missiones, inter Praefectum apostolicum et Superiores locales etc. describuntur. Quae nunc appendix tum in Missionibus tum in domo matrici circulatur, ut examinari, probari ac demum ultimis lineamentis describi possit.*» (ASO, A.2.1.1 - Textus originaliter Latinus).

⁴³ Cfr Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 358; Johanna BUSCH-MANN (2003), p. 87; Godfrey SIEBER (1992), p. 187.

⁴⁴ Cfr Andreas AMRHEIN: Fragmenta Constitutionum (1896). In: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. Schriften von P. Andreas Amrhein OSB (1844-1927). St. Ottilien 2006, pp. 429 sqq. - Haec fragmenta Constitutionum constant ex undeviginti capitulis. Textus ipse non est nimis longus, cum sint solum quattuordecim semis paginae typis expressae. - Epistolā die 21^o m. Ian. a. 1896^o ad episcopum Augustanum Petrum von Hötzl datā Andreas Amrhein eidem obtulit se Constitutionum conscribendarum labores, quos iam incohavisset et qui propter calamitatem suam interrupti essent, confecturum esse. [Cfr Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe von P. Andreas Amrhein (1844-1927). St. Ottilien 2010, 2, p. 1204]. - Videtur episcopus hoc propositum accepisse. Sed P. Andreas Amrhein propter malam dispositionem nervorum hoc opus conficere non valuit, quā de causā saltem «fragmenta» ad episcopum misit putans haec quoque esse aliquatenus utilia. Has partes Constitutionum epistolae die 31^o m. Mart. a. 1896^o datae subiunxerat. Ildefonsus Schober textum huius epistolae ad verbum affert in epistolā suā circulari die 25^o m. Ian. a. 1900^o datā (ASO, A.3.3.2). Tamen ipsa epistula P.ris Andreae Amrhein videtur non iam exstare, cum eadem in epistularum editione anno 2010^o diligenter factā non inveniatur.

⁴⁵ Se textum ab Andrea Amrhein praeparatum adhibuisse Ildefonsus Schober ipse in epistolā circulari die 25^o m. Ian. a. 1900^o datā (ASO, A.3.3.2) scripsit. - Cfr etiam Bernita WALTER (1985), p. 184; Viktor DAMMERTZ: Konstitutionen. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 358; Godfrey SIEBER (1992), p. 187; Cyrill SCHÄFER: Fragmenta Constitutionum. Einführung. In: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. Schriften (2006), p. 428.

ipse multas res novas inseruit adiunxitque.

Sed spectemus breviter ipsum Constitutionum textum.⁴⁶ Qui textus satis amplius constat praeter prologum ex quinquaginta tribus capitulis plus minusve longis, quibus - sicut solet - varia capitula Regulae Sancti Benedicti ad usum practicum monasterii singillatim explicantur, et ex Appendice speciali. Statim autem in initio animadvertendum est nomen consociationis. Nam legitur titulus «Sacratissimi Cordis Iesu».⁴⁷ Hōc locō iam percipitur manus Ildefonsi Schober, qui Ottilianos illuc adduxit, ut illum titulum mutatum, qui ipsi Ildefonso Schober erat maximi momenti, acciperent.⁴⁸

⁴⁶ Constitutiones Congregationis Ottiliensis O.S.B. pro missionibus exteris cum Appendice. St. Ottiliae 1897 (ASO, K.1.1).

⁴⁷ Constitutiones 1897, p. 3 (manuscripti) (ASO, K.1.1).

⁴⁸ Ipsi Ottiliani tempore maximarum difficultatum mense Febr. a. 1897ⁱ totam congregationem Beatae Mariae Virgini Auxilio Christianorum dedicaverant (*cf* supra cap. 3.1.). Sed Ildefonsus Schober propter artam coniunctionem spiritualem cum Sorore Maria Droste zu Vischering, fervidissimā veneratrīce Sacratissimi Cordis Iesu (*cf* supra cap. 3.2.3.) alium titulum exoptabat. - *Cfr* Suso BRECHTER (1963), p. 265; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 48 adn. 80; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 305 adn. 97; Godfrey SIEBER (1992), p. 129. - Quamvis Ottiliani huic novo titulo assensi sint, videntur ipsi aliquamdiu ex hac mutatione dedicationis laboravisse. Hōc apparet ex. gr. ex epistulā, quam die 18^o m. Febr. a. 1906^o abbas Norbertus Weber ad episcopalem ordinariatum Passaviensem [*Passau*] direxerat. Nam anno 1904^o Ottiliani in loco Schweiklberg iuxta Vilshofam [*Vilshofen*] sito novum monasterium condiderant, cui nomen B.M.V. Auxilii Christianorum dederunt. Sed propter querimonias prolatas aemulationesque ordinariatus Passaviensis novo monasterio hōc nomine uti interdixit. Commemorata epistulā responsoriā Norbertus Weber condicionem deliberationesque Ottilienses explicuit scribens totum conventum Ottiliensem temporibus perturbatis monasterium suum congregationemque B.M.V. Auxilio Christianorum dedicavisse. Sed novis condicionibus pressum atque influxu externo ductum iam anno posteriore conventum alium titulum eligendum atque congregationem Sacratissimo Cordi Iesu dedicandam accepisse. Se abbatem testimonia illius temporis invenisse atque conscientiam ductum fuisse, ut, quantum fieri posset, in novo monasterio ea explerentur, quae alio tempore neglecta et praetermissa essent. - Obloquium autem Norberti Weber nihil profuit. Monasterium in loco Schweiklberg situm deinde aliquando Sanctae Trinitati dedicatum est. - De hac re *cf* ex. gr. Hartmut MADL (1999), pp. 108 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 48 adn. 80.

Praeterea in textū Constitutionum multis in locis condiciones speciales in missione vigentes respiciuntur. Sic exempli gratiā iam primo capitulo, quo agitur «*De generibus vel vita Monachorum*», fusius coniunctio inter vitam monasticam atque missionem tractatur.⁴⁹ Similiter in secundā declaratione primi capituli respicitur modus, quo monachi missionarii vitam degant disciplinamque servant.⁵⁰ Refertur ibīdem etiam ad Propositiones Lacenses, quae dicuntur.⁵¹


⁴⁹ Constitutiones 1897, pp. 2 sqq. (manuscripti) (ASO, K.1.1). - Tamen haec pars de-prompta est ex «Fragmentis Constitutionum» P.ris Andreae Amrhein.

⁵⁰ Constitutiones 1897, pp. 5 sqq. (manuscripti) (ASO, K.1.1).

⁵¹ Constitutiones 1897, pp. 7 sqq. (manuscripti) (ASO, K.1.1). - De his propositionibus *cfr* supra cap. 3.2.2.1.

Victor Dammertz, talium quaestionum peritissimus, demonstravit⁵² specialiter commemorandum esse his in Constitutionibus in comparatione exemplaris Beuronensis additamenta inveniri, quae spectant ad disciplinam monasticam et quae in monasterio Ottiliensi illo tempore quoad observantiam fuerunt res novae, quae eā de causā specialiter inculcandae erant.⁵³

Commemoranda etiam est declaratio tertia ad capitulum sexagesimum quartum Regulae spectans.⁵⁴ Nam ibidem agitur de abbatiis ab domo matrice condendis, de totā Congregatione instituendā, de archiabbate atque de systemate administrationis. Cum illo tempore, quo hae Constitutiones componebantur, monasterium Ottiliense modo prioratus factus sit, videmus, quantopere multa iam disposita sint, quae ad tempus futurum spectabant. Itaque progressūs prosperrimi iam praesumebantur.



⁵² Cfr Viktor DAMMERTZ: Konstitutionen. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 359.

⁵³ Sic ex. gr. in secundā declaratione ad undevicesimum capitulum Regulae spectante fuse institutiones exhibentur, quomodo monachi in choro se gerant [Constitutiones 1897, pp. 33-39 (manuscripti) (ASO, K.1.1)] et post explicationes ad capitulum duode-sexagesimum Regulae spectantes duo additamenta subiunguntur, qui inscribuntur «De Disciplina Monastica» (pp. 100-104) et «De quibusdam ad Stabilitatem Monachorum pertinentibus» (pp. 104-108), quibus imprimis agitur de votis monasticis atque de poenis, quae luendae sunt, si contra disciplinam peccatur.

⁵⁴ Constitutiones 1897, pp. 116-128 (manuscripti) (ASO, K.1.1).

Maximi autem momenti est Appendix, quae ipsis Constitutionibus subiungitur.⁵⁵ Nam ibidem tractantur quaestiones, quae ad ipsam missionem, ad superiorem regionis missionariae eiusque relationem cum superiore generali pertinebant. Res autem quasdam scitū dignas hōc in conexū breviter exhibemus.

Nam ut difficultates inter auctoritates vitarentur, munera eorumque iura definiri debuerunt. De superiore autem generali leguntur haec:⁵⁶ «*Superior generalis est praepositus generalis: a) monasteriorum monachorum Congregationis, b) monasteriorum monialium Congregationis, c) missionum, quas Congregatio suscipit, in quantum Praefecti vel Vicarii Apostolici eiusdem Ordinis et Congregationis dependent a Superiore generali.*» Scitū autem dignum est ad punctum c) huius explicationis adnotationem exstare, quā leguntur haec:⁵⁷ «*Quod quamvis ratio ei ferat, tamen, ut patet, non sine discrimine intellegendum est. Omnibus igitur patribus, fratribus conversis, sororibus cunctorum monasteriorum et missionis stationum Superiorem generalem quovis tempore licet adire. Qui tamen omnino cavebit, ne auctoritas Superiorum illorum laedatur; cavebit, ne alicuius in terris missionum stationis sitae Superiori immediata de hac administranda det mandata; cavebit, ne praepositos coram subditis, si forsitan adsint, vituperet; cavebit, ne auditis litteris et querelis res ordinet, ut non Praefectum (Vicarium) Apostolicum adhibuerit et consuluerit. Ipse vero pro sua parte non provocabit hasce querelas, velut missis personis non perfectis et dubiis.*» Ex talibus vero praeceptis apparet bonus sensus de opportuno se gerendi modo alicuius praepositi.

⁵⁵ Constitutiones 1897, pp. 145-211 (manuscripti) (ASO, K.1.1).

⁵⁶ Constitutiones 1897, Appendix, pp. 146 sq. (manuscripti) (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁵⁷ Constitutiones 1897, Appendix, p. 147 (manuscripti) (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

Cum autem agatur de regione missionariā magni momenti est munus Praefecti Apostolici sive Vicarii Apostolici. Itaque haec quoque quaestio sub variis aspectibus fuse tractatur.⁵⁸ Tamen solam unam rem depromere volo. Cum enim priore tempore saepius difficultates exortae essent de iuribus deque auctoritate Praefecti Apostolici atque de eius dependentiā de superiore generali in rebus missionariis discernendis, haec relatio in Appendice respiciebatur. Nam quamquam superior generalis in rebus ad totam Congregationem spectantibus maiorem auctoritatem habebat et disciplinae custos totius Congregationis erat atque de bonā condicione Congregationis responsalis erat,⁵⁹ tamen leguntur haec:⁶⁰ «*Fieri non potest, sicut aliqui voluerunt statuere, ut Apostolicus Praefectus vel Vicarius, id est ut a S. Ecclesia, in specie a S. Congregatione de Propaganda Fide, ad hanc ecclesiasticam dignitatem evectus, in munere exercendo (episcopali), in Praefectura (Vicariatu) sibi commissa administranda tali a domo matre dependeat ratione, ut ab hac eadem proprie quasi regi dicatur. Minime, sed Ordinarius est suae dioeceseos in s. canonum sanctaeque Ecclesiae sensu, quamquam in nonnullis mandatis et actionibus non sine domo matre aut Superiore generali esse et agere potest.*»

⁵⁸ Constitutiones 1897, Appendix, pp. 150 sqq. (manuscripti) (ASO, K.1.1).

⁵⁹ Ex. gr. Constitutiones 1897, Appendix, p. 155 (manuscripti) (ASO, K.1.1): «*Superiori generali oportere esse ingerentiam in totum Missionis opus, i.e. uti auctoritate potestateque ad omnes sodales in Missione occupatos attinenti, atque eidem quovis temporis momento plane esse perspicuum, quae sit horum sodalium condicio et qui quantique fiant in opere Missionis progressus.*» (Textus originaliter Latinus). - Praeterea superiori generali licet dare «*pia consilia*», ei regulariter de statu missionis scripto modo referendum est, ei licet res «*impedire, quae contra vera principia monastica*» susceptae sunt, ei licet Praefectum sive Vicarium Apostolicum revocare, cum gravis causa exstet.

⁶⁰ Constitutiones 1897, Appendix, p. 153 (manuscripti) (ASO, K.1.1). - Textus originaliter Latinus.

Harum Constitutionum textus, qui Latine exaratus erat,⁶¹ videtur in fine anni 1897ⁱ quadamtenus confectus fuisse.⁶² Eisdem autem Ildefonsus Schober nondum ad approbationem Romam mittere, sed antea per aliquod spatium temporis in ipso monasterio Ottiliensi usū experiri voluit.⁶³

3.3.3.2. *De Constitutionum approbatione statali*

Tamen die 20^o m. Ian. 1898^o textus Constitutionum ad magistratū districtū Landsbergensis ad approbandum missus est, cum inde iam urgentia quaedam audiretur.⁶⁴ Inde ex illo temporis momento processus quidam instituebatur, qui non solum diutius durabat, sed quo etiam plures difficultates, disputationes, retractationes coniunctae erant. Nam episcopalis ordinarius Augustanus de hac re interrogatus die 11^o m. Febr. a. 1898^o regi-
mini Bavariae Superioris renuntiavit se Constitutiones quidem ex aspectū ecclesiastico generaliter approbare, sed quaestionem, quid quoad pecuniam fieret, si quis monachus monasterium relinqueret vel si ipsum monasterium dissolveretur, neglectam esse.⁶⁵ Itaque Prior P. Ludger Leonard die 28^o m. Febr. a. 1898^o ab magistratibus districtū mandatum accepit, quō hōc punctum inserendum esset.⁶⁶ Itaque mutatione factā, quā ordinarius

⁶¹ In textū Latino componendo P. Norbertus Weber erat responsalis, cuius Latinitas elegans iam ab coequalibus laudabatur. - *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 51.

⁶² Hoc apparet ex epistolā Ildefonsi Schober die 16^o m. Dec. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1). Etiam Chron. Ottil., m. Oct. a. 1897 commemoratur die 21^o m. Oct. in senioratū Ottiliensi consultationes de Constitutionibus incohatas esse, quarum textum Ildefonsus Schober attulisset. - Eādem epistolā Ildefonsus Schober Abbati Primati confitetur se Constitutiones sororum nondum incohare potuisse, quia difficultates quaedam obstarent. Hae difficultates cohaerebant cum conscientia Ildefonsi Schober, quā ei quaestio exorta est, num abbas quidam Benedictinus atque Benedictinus Beuronensis propter exceptiones tunc omnino necessarias in Benedictinis sororibus missionariis instituendis cooperari posset. Haec difficultas diutius eum vexabat.

Ipsam textum Constitutionum, quae ad monasterium virorum et ad totam congregationem spectabant, die 3^o m. Febr. a. 1898^o ad Abbatem Primatem misit rogans, ut idem adnotationes solum ad «Propria», quae dicuntur, subiungeret, cum reliqua essent ut in Constitutionibus Beuronensibus (ASO, A.1.8.1).

⁶³ *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 16^o m. Dec. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne datā (ASO, A.1.8.1).

⁶⁴ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 348.

⁶⁵ *Cfr* epistula vicarii generalis Francisci Antonii Henle die 11^o m. Febr. a. 1898^o ad régime Bavariae Superioris data (ASO, A.2.1.6).

⁶⁶ Ut Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p.

Augustanus illo tempore contentus erat, deinde inspectio statalis sequebatur. Prima reactio erat in eo, quod ab magistratibus districtūs die 25^o m. Iul. a. 1898^o postulatio ministerii rei culturalis Ottilianis translata est, quā Constitutionum versionem Theodiscam facerent.⁶⁷

348 refert, Ottiliani de hōc postulātō mirabantur, quia huiusmodi quaestio pecuniaria, si quis monasterium relinqueret, generaliter iure canonico iam soluta esset. Sed disputatio atque argumenta in fine nihil profuerunt atque punctum addubitatum inserendum erat.

⁶⁷ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: *Grundlegung*. In: Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), pp. 348 sq.

Hōc postulatō instigati vicario generali Augustano etiam suadente Ottiliani non meram versionem Theodiscam praebuerunt, sed textum omnino retractatum atque abbreviatum exhibuerunt. Itaque illae Constitutiones Theodiscae regimini exhibitae sunt prorsus aliae ac Constitutiones Latinae. Novus autem textus constitit ex decem capitulis in varios paragraphos subdivisis.⁶⁸ Trac-tantur vero ibīdem nomen atque scopus congregationis (cap. I), eius dispositio ordinata (cap. II), electio superiorum (cap. III), foundationes novae (cap. IV), sodalitas (cap. V), clausura (cap. VI), translatio, dimissio egressioque (cap. VII), vestitus Ordinis (cap. VIII), res pecuniariae bonaque (cap. IX), approbatio statalis ecclesiasticaque in mutationibus postmodum faciendis (cap. X).

Hae Constitutiones Theodiscae ab abbate Ildefonso Schober superiore generali et ab Priore P.re Ludgero Leonard subscriptae die 29^o m. Dec. a. 1898^o magistratibus districtūs traditae sunt.⁶⁹ Denuo novus textus primo ad episcopalem ordinariatum translatus est, ut sententiam suam proferret. Die 11^o m. Febr. a. 1899^o inde relatum est in Constitutionibus nihil inventum esse, quod ex aspectū ecclesiastico reprehendi posset. Tamen ordinariatus Augustanus praeter quaedam alia critice adnotavit in capitulo tertio, quo agebatur de electione superiorum, deesse statutum, quo immediate post actum electionis eadem regimini statali indicanda, licentia statalis acquirenda⁷⁰ atque etiam episcopus certior faciendus esset.⁷¹

⁶⁸ Theodiscum textum denique definitive approbatum exhibet Paulus WEISSENBERGER (1967), pp. 96-102. - Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 95 in explicationibus suis Constitutiones Latinas anno 1897^o exaratas omnino non commemorat, sed has Constitutiones Theodiscas, quae demum die 11^o m. Iul. a. 1901^o ab regimine approbatae sunt, putare videtur esse Constitutiones anni 1897ⁱ.

⁶⁹ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. *In*: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 349.

⁷⁰ Tales obligationes exstare neque in Conventione ab Sancta Sede die 5^o m. Iun. a. 1807^o cum Re publicā Bavaricā initā, quae illo tempore adhuc valida erat, neque in Bavarico Edicto Religioso die 26^o m. Maii a. 1818^o proposito legitur, quamquam talis usus in reliquis monasteriis Bavariae fuisse videtur. - *Cfr* Ernst Rudolf HUBER / Wolfgang HUBER: Staat und Kirche im 19. und 20. Jahrhundert. I. Berlin 1973, pp. 128 sqq.; pp. 170 sqq., ubi textūs Conventionis atque Edicti inveniuntur.

⁷¹ *Cfr* epistula ab ordinariatū Augustano ad régimen Bavariae Superioris die 11^o m. Febr. a. 1899^o missa (ASO, A.2.1.6). - *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. *In*: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 349, qui hōc in conexū recte adnotat ordinariatum episcopalem in his monitionibus criticis fautorem atque propugnatorem commodorum statalium fuisse.

Die 7^o m. Iul. a. 1899^o deinde etiam ministerium rei culturalis commentarium suum protulit, quo dictum est Constitutiones praecipue cum licentiā supremā congruere atque eisdem praecepta primaria expleri.⁷² Tamen nonnullas res esse mancas imperfectasque régimen monebat. Inter illas querelas erant tales, quae spectabant ad nomen congregationis,⁷³ ad commemorationem abbatis atque abbatiae⁷⁴ et ad principium adhuc deficiens, quo sodales «extranei», id est non Bavari, indigenatum Bavaricum, id est iura civitatis Bavaricae sibi acquirere deberent.

Regimini autem hōc in conexū maximi momenti atque maxima causa querendi erat, quod praeter Priorem P.rem Ludgerum Leonard etiam Ildefonsus Schober abbas Seccoviensis atque superior generalis Ottiliensis Constitutiones subscripserat. Ex causis iam notis, id est quia Ildefonsus Schober inter «extraneos» numerabatur et quia dependentia alicuius monasterii Bavarici ab aliquo monasterio extraneo timebatur, régimen propter hanc subscriptionem paene in extasim raptum est.⁷⁵

Tamen Ottiliani monitiones ad ipsas Constitutiones spectantes respexerunt atque textum retractaverunt, quem die 24^o m. Oct. a. 1899^o denuo magistratibus praebuerunt. Nihilominus etiam hac vice unā cum Priore Ludgero Leonard iterum Ildefonsus Schober abbas textum subscripsit et in epistulā subiunctā explicuit statum suum superioris generalis ad tempus gerentis dependentiam monasterii Ottiliensis ab monasterio extraneo omnino non significare.⁷⁶

⁷² *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 349.

⁷³ Secundum opinionem regiminis consociatio officialiter approbata erat sub nomine, quod erat «Sancti Benedicti consociatio missionaria Ottiliensis», quā de causā in Constitutionibus quōque nullum aliud nomen adhibendum esset. - Revera in Theodiscis Constitutionibus definitivis nihil invenitur, quo dedicatio ad Sacratissimum Cor Iesu apparet. - *Cfr* Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 96.

⁷⁴ Cum illo tempore monasterium Ottiliense adhuc solum prioratus esset, hanc conditionem in singulis punctis, quo ageretur de superioribus vel de statu fortasse futuro respiciendam esse régimen admonuit.

⁷⁵ *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 350, qui etiam regiminis sententias officiales affert. - Tamen haec quaestio, quae ad statum Ildefonsi Schober spectat, hōc in conexū non ultimā vice exorta est.

⁷⁶ Insuper adnotavit se hanc quaestionem cum administro rei culturalis ipso disputavisse, qui ius subscribendi hac in re concedisset. - *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 350.

Sed disputatio de Constitutionibus nondum finita erat. Nam neque ordinariatus neque regimini mutationes praebitae sufficiebant, quā de causā Ottiliani res iterum iterumque admonitas⁷⁷ iterum iterumque mutaverunt retractaveruntque. Cum Ottiliani putarent se omnia postulata explevisse atque res paulatim bene se habere, ministerium rei culturalis epistolā die 31^o m. Iul. a. 1900^o ad ordinariatum Augustanum datā novas dubitationes protulit: ex Constitutionibus non apparere, qualia iura episcopus Augustanus in monasterium haberet. Nam privilegium exemptionis praebere non esse in votis regiminis statalis.⁷⁸

Sed hōc postulatum videtur ne ordinariatus quidem placuisse, quia īdem assequi conatus est, ut régimen exemptioni assentiretur. Tamen illo temporis momento hōc conamen in irritum cecidit. Videbatur autem secundum voluntatem regiminis tota existentia monasterii dependere ab hōc postulato bene expleto.⁷⁹

Itaque ne omnia usque tunc facta essent frustrata, ab ordinariatū Augustano die 29^o m. Maii a. 1901^o epistula ad régimen Bavariae Superioris missa est, quā continebatur propositum hōc, quod in Constitutiones assumendum erat:⁸⁰ *«Sancti Benedicti consociatio missionaria Ottiliensis secundum rationes atque fines normarum canonicarum iurisdictioni, visitationi atque vi disciplinari episcopi Augustani subiecta est, et hoc quidem tam diu, usque dum monasterium Sanctae Ottiliae sive Congregationi Benedictinae in Bavaria iam existenti se adiunxerit sive, tempore suo in abbatiam evecta, cum duabus aliis abbatiis coniuncta, quae ut filiae materni monasterii Ottiliensis in Bavaria exorta erunt, novam Congregationem Benedictinam instituet, cui praeest archiabbas. Inde sequitur episcopo dioeceseos ius esse, quo monasterium Sanctae Ottiliae omni tempore atque tam saepe quam necessarium esse existimat, visitat, electioni superioris, cum haec accidat, praeest atque eandem inspicit, dimissionem vel*

⁷⁷ Sic die 24^o m. Ian. a. 1900^o, die 19^o m. Mart. a. 1900^o, die 17^o m. Apr. a. 1900^o additamenta ad régimen translata sunt.

⁷⁸ Cfr Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 351.

⁷⁹ Cfr epistula ab episcopali ordinariatu Augustano die 29^o m. Maii a. 1901^o ad régimen Bavariae Superioris directa (ASO, A.2.1.6).

⁸⁰ Cfr epistula ab episcopali ordinariatu Augustano die 29^o m. Maii a. 1901^o ad régimen Bavariae Superioris directa (ASO, A.2.1.6) et Paulus WEISSENBERGER (1967), p. 96 (cap. II, § 2), ubi textus definitivus, qui est īdem ac in proposito, exhibetur. - Textus originaliter Theodiscus.

electionem monachorum professorum custodit.»

Hoc propositum ab regimine acceptum est et deinde in Constitutiones insertum est. Tamen condicionibus in illo paragrapho exhibitis postea, cum revera abbas eligeretur, denuo difficultates exortae sunt.⁸¹ Sed régime aliquatenus contentum decreto ministerii die 11^o m. Iul. a. 1901^o dato Constitutiones approbavit.⁸²

Via ergo ad approbationem statalem primarum Constitutionum erat satis longa, intricata atque saepe satis molesta,⁸³ sed denique ad finem satis bonum duxit.

3.3.4. De quaestione prolongationis muneris superioris generalis

Dum exaratio Constitutionum atque earum approbatio statalis aguntur, in monasterio Ottiliensi vita cottidiana instituebatur et praeter alia exercitatio monastica continuebatur. Tamen eadem quōque non tam celeriter progrediebatur, ut brevi tempore omnia iam prorsus stabilita essent. In relationibus suis atque in commercio suo epistulari Ildefonsus Schober adnotavit quidem progressū fieri et omnes bonae voluntatis esse atque bonum seriumque impetum internum habere,⁸⁴ tamen difficultates adhuc exstantes clare vidit. Sed etiam ipsi Ottiliani sibi conscii erant formationem suam monasticam nondum esse prorsus finitam. Quā de causā senioratus Ottiliensis die 15^o m. Ian. 1898^o ad archiabbatem Beuronensem se convertit atque epistulariter rogavit, ut P.ri Ludgero Leonard, cuius auxilium primo ad unum solum annum concessum erat, diutius munere suo Prioris fungi liceret, et hōc quidem tam diu quam ipsi Ottiliani eius auxilio indigerent.⁸⁵ Hōc monachi Ottiliani fecerunt, quia pro laboribus eius vere grati erant, quamvis in quaestionibus quibusdam gravibus magnae difficultates

⁸¹ De hac re vide infra.

⁸² *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 351; Chron. Ottil., m. Iul. a. 1901, ubi de hac re legitur se «tandem post pugnam trium annorum» approbationem Constitutionum ab regimine assequi potuisse.

⁸³ Nobis hodiernis talia legentibus interdum fortasse risus movetur, sed Ottilianis illa condicio non erat vere hilaris. Tamen cum cogitemus de vicissitudinibus administratoriis atque de molestiis grapheocratiae, quibus nos quōque saepe subiecti sumus, etiam risus noster finitur atque sensū Ottilianorum participare valemus.

⁸⁴ *Cfr* ex. gr. epistula die 16^o m. Dec. a. 1897^o ad Hildebrandum de Hemptinne data; epistula die 29^o m. Oct. a. 1899 ad Hildebrandum de Heptinne directa (ASO, A.1.8.1).

⁸⁵ *Cfr* Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 296 sq.; Suso BRECHTER (1963), p. 266.

dissensionesque cum ipso exstarent. Archiabbas autem Beuronensis Placidus Wolter hanc rem a se petitam libenter concessit.

Sed quamquam Ildefonso Schober in Ottiliensibus laboribus cottidianis atque in eruditione monasticā efficiendā P. Ludgerus Leonard magno emolumento erat, tamen ipsi plurimae res faciendae relinquebantur. Nam non solum superior generalis Ottiliensis atque abbas Seccoviensis erat, sed etiam munere abbatis assistentis in Congregatione Beuronensi fungebatur atque officium ei impositum erat, quo monasteria Portugalensia visitationibus examinaret. Non ergo est mirum, quod hi omnes labores, quos non solum obiter exanclavit, decursū temporis vires eius aliquatenus superare videbantur. Apparuit enim valetudinem Ildefonsi Schober ob tot onera iam affectam esse.

Cum in fine anni 1899ⁱ triennium, ad quod Ildefonso Schober munus superioris generalis attributum est, finitum esset, iam die 10^o m. Iun. a. 1899^o archiabbas Placidus Wolter magnis curis adductus ad episcopum Augustanum Petrum von Hötzl se convertit et eundem rogavit, ut Ildefonsum Schober, cum malā valetudine uteretur,⁸⁶ ab munere superioris generalis exoneraret.⁸⁷ Etiam ipsum abbatem Ildefonsum hōc desiderium protulisse. Hōc munus in fine anni finiri posse Placidus Wolter putavit, quia secundum ipsius sententiam congregatio Ottiliensis iam propriis pedibus stare valeret.⁸⁸

Tamen omnes alii, ad quos haec quaestio attinebat, de hac re aliter sentiebant. Nam primo ipsi Ottiliani, qui Ildefonso Schober valde adhaerebant magnamque confidentiam in eum habuerunt, eum quasi mediā in re opus relinquere noluerunt. Itaque - sicuti iam aliquando fecerant⁸⁹ - seniores monasterii die 24^o m. Iun. a. 1899^o petitionem ad cardinalem Ledochowski

⁸⁶ Videtur Ildefonsus Schober ex corde laboravisse, quem morbum ex nimia contentione virium et ex manca motione corporali exortum esse medicus dixerat.

⁸⁷ *Cfr* epistula Placidi Wolter die 10^o m. Iun. a. 1899^o ad Petrum von Hötzl directa (ASO, A.2.1.6). - *Cfr* etiam Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 297; Paulus WEIS-SENBERGER (1963), p. 303; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 88.

⁸⁸ Subiunxit autem īdem, si in fine anni 1899ⁱ participes capituli generalis (quod capitulum generale illo tempore revera non est institutum) Priorem P.rem Ludgerum Leonard non eligerent superiorem definitivum, tunc fortasse in Benedictinā Congregatione Bavaricā aliquem inveniri posse, qui hōc munus susciperet. - Ex his verbis etiam apparet Placidum Wolter non illibenter Ludgerum Leonard ut superiorem definitivum vidisse, sed etiam reservationes quasdam apud Ottilianos iam animadvertisse.

⁸⁹ Vide supra cap. 3.2.3.

miserunt, quā rogaverunt, ut Ildefonsi Schober munus superioris generalis prolongaretur.⁹⁰ Ex ipsis autem verbis apparet Otilianos non «aliquem» ut praepositum adiutoremque velle, sed solum agi de Ildefonso Schober.

⁹⁰ *Cfr* Frumentius RENNER: *Leuchter I* (1979), pp. 298 sq.; Suso BRECHTER (1963), p. 266; Godfrey SIEBER (1992), p. 130; Frumentius RENNER: *Benediktinerkongregation* (1999), p. 805; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 30; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 51.

Videtur vero cardinalis Ledochowski, quod attinet ad muneris prolongationem, similiter sensisse ac monachi Ottiliani. Nam iam die 7^o m. Iul. a. 1899^o idem ad Ildefonsum Schober scripsit eum de petitione certiolem faciens eumque interrogans, num ad munus superioratūs generalis denuo suscipiendum paratus esset. Protulit autem cardinalis Ledochowski cum alia tum haec: ⁹¹ «*Quae preces summopere gaudio animum meum affecerunt: quamvis enim probe scirem, quanta prudentia ac felici successu reformationis laborem hucusque prosecutus sis: tamen libuit prorsus agnoscere ipsos subditos, quod in bonum suum tu contuleris, grato animo suscepisse et merito aestimare.*»

Itaque Ildefonsus Schober illo tempore adhuc quadamtenus haesitanter de hac quaestione deliberare coepit, quamvis ipse libenter ab onere superioratūs generalis liberatus fuisset. Mirum autem in modum Ottiliani satis celeriter cardinali Ledochowski alteram epistulam rogatoriam miserunt.⁹² Ipsi petitioni hac vice etiam quaedam argumenta subiunxerunt, quibus difficultates, quae prolongationi muneris obstiterunt, amovere conati sunt. Hōc in conexū valetudinem Ildefonsi Schober (interea iam meliorata, ut dixerunt), laborum onera, quae in futurum faciliora redderentur, atque desideria Beuronensia Seccoviensiaque respiciebant. Quamvis condiciones Ottilienses multo melius quam triennio ante se habeant - ut scripserunt - Ottiliani desiderio Beuronensi cedere non valent, «*cum Congregatio nostra adhuc nova atque infirma per aliquod tempus fortissimo viro indigeat, qui rerum atque studiorum Congregationis peritus, ei praesidio sit. Ad hoc autem praestandum aptior nemo est quam noster Rvss Domn. Superior generalis.*»

Calidissime vero (et fortasse etiam aliquatenus procaciter) Ottiliani epistulae subiunxerunt haec: «*Quare humillime petimus, ut Eminentia Vestra provi-deat, ne Rvssso Dmno Ildefonso Schober ipsi concedatur discernere, utrum ultra munere Superioris fungatur necne, sed ut ei mandatum Sanctitatis Suae officii continuandi mittatur. Hoc enim casu sine ulla dubitatione se munus denuo suscepturum esse ipse aiebat Rvss Superior noster, qui adhuc dubitat, utrum Deus ab ipso postulet, ut nostrae an Rvssi Dni Archiabbe voluntati satisfaciat.*»

⁹¹ Cfr epistula cardinalis Ledochowski die 7^o m. Iul. a. 1899^o ad Ildefonsum Schober directa (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

⁹² Cfr epistula senioratūs Ottiliensis mense Iulio a. 1899^o ad cardinalem Ledochowski directa (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

Scilicet cardinalis Ledochowski hęc ultimum consilium non est secutus, sed fortasse argumenta prolata nihilominus profuerunt. Sed Ildefonsus Schober ipse adhuc dubitavit, quid faciendum esset. Verisimiliter haec dubitatio partim etiam cohaerebat cum voto desiderioque archiabbatis Beuronensis. Tamen mutatio quaedam (Ottilianis positiva) in eius deliberationibus videtur iam mense Augusto a. 1899ⁱ facta esse. Nam illo tempore, quo Ildefonsus Schober in monasterio Ottiliensi versabatur, magnae vehementesque difficultates atque rixae exortae erant inter Priorem P.rem Ludgerum Leonard et Subpriorem P.rem Thomam Spreiter. Agebatur versimiliter de perceptione omnino diversa, quā vita monastica atque munus missionarium inter se coniungi possent. Hac in quaestione P. Ludgerus strictissime putavit vitam monasticam omnimodo esse praeferendam atque in casū minimae dubitationis munus missionarium esse omittendum atque relinquendum. Quod ipse in monasterio propter missionem exteram condito tali immobili sententiā difficultates cum nonnullis monachis habuit, non est mirandum.⁹³

⁹³ Cyrillus WEHRMEISTER in recordationibus suis (Erinnerungen (s.a.), pp. 33 sqq. (ASO, A.1.8.1)) fusius de Priore P.re Ludgero Leonard atque de eius modo se gerendi deque eius opinionibus narrat. Non solum eius perceptio missionaria (vel potius non missionaria), sed etiam eius mens quadamtenus angusta difficultates praebuit. Easdem difficultates (nisi maiores) ac Cyrillus Wehrmeister etiam alii monachi habebant. - Etiam Ildefonsus Schober ex. gr. in epistulā die 5^o m. Oct. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne datā (ASO, A.1.8.1) scripsit P.rem Ludgerum nonnullis in quaestionibus esse angustae mentis atque unilateralem et, ut notum esset, virum aliquatenus mirum.


Ildefonso Schober quidem contigit, ut has difficultates inter Priorem et Subpriorem ad tempus conciliaret,⁹⁴ sed haec res pro deliberationibus suis propriis sequelas quōque habuit. Nam īdem mense Augusto ad Hildebrandum de Hemptinne scribens de his problematis refert et etiam de prolongatione muneris agit.⁹⁵ In fine enim mensis Iulii - ut scripsit - cum episcopo Augustano convenerat, qui instantissime eum rogaverat, ut munus superioris generalis denuo susciperet, quia aliter omnia dissolverentur. Ipse autem Ildefonsus Schober similiter de tali periculo sensit, quia - ut dixit - patres Otilienses adhuc nimis iuveniles essent, ut ipsi rem sustentare possent, et quia diffidentia quaedam inter patres, qui iam diutius adessent, adhuc exstaret, et quia illo temporis momento iam electionem exhibere periculosum esset, et quia P. Ludgerus Leonard perpetua problemata haberet, cum superior generalis institueretur.⁹⁶

⁹⁴ Nihilominus res non erat prorsus transacta. In eādem epistolā die 5^o m. Oct. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne datā (ASO, A.1.8.1) Ildefonsus Schober explicat se unam solam epistolam ex pluribus similibus, quas Subprior Thomas Spreiter ei scripserat et quibus vehementer, quin etiam vehementissime contra Priorem locutus est, ad archiabbatem Placidum Wolter transtulisse, ut ille quōque sciret, quales sensūs de Ludgero Leonard exstarent.

⁹⁵ *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 9^o m. Aug. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1).

⁹⁶ De hac re *cfr* etiam Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 300 sq.; Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 88 sq.

*Conventus Ottiliensis cum Priore P. re Ludgero Leonard (sedens in media serie prima).
[Godfrey SIEBER / Cyril SCHÄFER (2003), p. 85.]*



Quamquam Ildefonsus Schober necessitatem exstare bene scivit, quā munus superioris generalis denuo susciperet, tamen res paulo diutius protracta est. Nam idem etiam exspectavit, ut et archiabbas Beuronensis et Abbas Primas prolongationi assentirentur. Episcopus autem Augustanus Petrus von Hötzl demum die 16^o m. Oct. a. 1899^o ad epistulam archiabbatis iam mense Iunio missam respondit.⁹⁷ Erga archiabbatem se excusavit quidem propter retardationem, quae propter nimios labores nimiaque itinera effecta esset, sed suspicandum est episcopum praeterea consulto exspectavisse, usque dum colloquium cum Ildefonso Schober ipso habuit. Nam cum valetudo Ildefonsi Schober interea magis stabilita esset - ut archiabbati scripsit -, valde speravit fore, ut eidem saltem ad tempus quoddam munus superioris generalis continuare liceret, id quod valde desiderabile esset. Episcopus ergo Augustanus etiam inter illos erat, qui prolongationi muneris favebat.

Videtur vero interea deliberatio exorta esse, quā ad onus facilitandum et tamen Ottilianis auxilium ferendum Ildefonsus Schober in futurum tantummodo ut visitator institueretur. Sed ad hōc propositum Ildefonsus Schober proprias cogitationes habuit. Nam putavit ad labores necessarios diligenter

⁹⁷ *Cfr* epistula Petri von Hötzl die 16^o m. Oct. a. 1899^o ad Placidum Wolter data (ASO, A.2.1.6).

atque efficaciter exanclandos titulum visitoris non sufficere. Essent enim - ut existimavit - plures anni adhuc necessarii, usque dum congregatio revera stabilita esset atque propriis pedibus stare posset. Interea praeter alia etiam Constitutiones novā redactione indigebant atque denique capitulum generale instituendum erat. Haec omnia se solum iuribus superioris generalis instructus facere posse affirmavit.⁹⁸ His verbis apparet Ildefonsum Schober condiciones bene perspectas habuisse et eum responsalitem pro opere iam inchoato sensisse, quā de causā maius onus suscipere quam mero titulo ornari praetulit.

Interea etiam archiabbas Beuronensis et Abbas Primas se prolongationi muneris assentiri significaverunt. Tamen Ildefonsus Schober quasdam condiciones tulit, quibus expletis munus denuo susciperet.⁹⁹ Nam rogavit, ut primo omnes potestates primi decreti asservarentur, deinde ne officium residendi in monasterio Ottiliensi haberet; denique valetudinis causā ne officium visitationis in missione Africanā ei imponeretur.¹⁰⁰

Tandem die 13^o m. Dec. a. 1899^o Ildefonsus Schober Congregationi de Propagandā Fide officialiter annuntiavit se munus superioris generalis denuo suscipere paratum esse. Erat autem summum tempus, quia primum triennium iam die 30^o m. Nov. a. 1899^o transactum erat. Ex hac condicione novae difficultates exoriri potuissent.

⁹⁸ *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 17^o m. Nov. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1).

⁹⁹ *Cfr* epistula Ildefonsi Schober die 13^o m. Dec. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1), quā eundem rogat, ut has condiciones enumeratas Congregationi de Propagandā Fide insinuaret.

¹⁰⁰ Cyrill SCHÄFER (2005), p. 52 existimat hac re concessā illo tempore missionem Africanam et monasterium in patriā situm magis inter se abalienata esse.

Eā de causā non est mirandum, quod cardinalis Ledochowski celerrime egit et iam die 5^o m. Ian. a. 1900^o novum decretum misit, ubi leguntur haec:¹⁰¹

«Valde exstiterunt Sacrae huic Congregationi gratae litterae R^{ae} T^{ae} datae die 13. Decembris nuper elapsi anni, quibus post maturam consilii deliberationem paratum te exhibes votis obsecundare tum monachorum S. Ottiliae officium denuo acceptando Superioris Generalis, quo usque modo tam laudabili zelo perfunctus es. Quamobrem per praesentes litteras Sacra haec Congregatio praedictum munus Superioris Generalis Congregationis Ottiliensis ad aliud triennium tibi confert cum omnibus facultatibus ac privilegiis, quae ad finem eiusdem officii gerendi hucusque concessa tibi fuerunt, nominatim vero ne lege adstringaris continuae residentiae in monasterio Ottiliensi servandae, neque visitationis stationum in Zanguebaria instituendae.

Haec dum R^{ae} T^{ae} patefacere satago, Deum rogo, ut auxilio suae gratiae ita te sustineat, ut inceptum opus reformationis Instituti Ottiliensis ad integrum finem adducere valeas.»

Hunc in modum Ildefonso Schober officialiter secundum triennium contributum est, quo munere superioris generalis Ottiliensis fungeretur ad rem definitive stabiliendam.¹⁰² Hōc decretō non solum episcopus Augustanus atque Abbas Primas contenti erant, sed imprimis Ottiliani ipsi maxime gavisi sunt bene scientes, quale beneficium accepissent.¹⁰³ Sed Ildefonsus Schober, quamquam cum Ottilianis quōque se coniunctum sensit, se denuo munus difficile atque grave suscepisse putavit.¹⁰⁴

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 183, 2011, pp. 27-56]

¹⁰¹ Cfr epistula cardinalis Ledochowski die 5^o m. Ian. a. 1900^o ad Ildefonsum Schober data (ASO, A.2.1.1). - Textus originaliter Latinus.

¹⁰² Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 303; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 89; Paulus WEISSENBGER (1963), p. 304; Frumentius RENNER: Benediktinerkon-gregation (1999), p. 805; Godfrey SIEBER (1992), p. 130.

¹⁰³ Cfr Chron. Ottil., m. Ian. a. 1900.

¹⁰⁴ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 8^o m. Ian. a. 1900^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1), quā eidem etiam gratias egit, quod condiciones ab ipso rogatas ad effectum adducere valuit.